

EL FUERO COMPETENTE. TEXTOS Y COMENTARIOS  
A DECLARACIONES RECIENTES DEL S. T.  
DE LA SIGNATURA APOSTOLICA

I. TEXTO

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE  
TRIBUNAL\*

*DECLARATIO*

*De foro plerarumque probationum*

Rev.mus N., Vicarius iudicialis Fori N., huc transmisit exemplar litterarum quas die 30 Decembris 1988 ad Rev.dum N., Vicarium iudiciale adiunctum Fori regionalis N., circa interpretationem can. 1673, 4.º, dedit.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Vi can. 1445, § 3, 1.º;

Considerato voto Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti, atque auditis duobus Rev. mis Votantibus;

Re sedulo perpensa in Congressu, die 27 Aprilis 1989, coram infrascripto Cardinali Praefecto habito,

*ad rem declarat:*

1. In primis animadvertendum est tribunal loci in quo de facto colligendae sunt pleraeque probationes, non esse forum iure competens, nisi reapse verificentur conditiones de quibus in can. 1673, 4.º, seu nisi 'accedat consensus Vicarii iudicialis domicilii partis conventae, qui prius ipsam interroget, num quid excipiendum habeat'.

Hisce conditionibus nomdum impletis, Tribunal, licet revera plerarumque probationum, legitime procedere non potest (cf. can. 127, § 2), v. g. ad alias partes in iudicium vocandas, ad dubia concordanda, etc.

Positive constare debet de concessione consensus Vicarii iudicialis partis conventae, quae concessio praesumi nequit v. g. ob defectum responsionis ex parte eiusdem Vicarii iudicialis intra terminos, ab illo qui consensum petiit, statutos.

2. Forum plerarumque probationum per se considerari nequit forum ubi tantum testes a sola parte actrice inducti habentur; ad rem considerandae sunt probationes, quae tum a parte conventa afferri prossunt, tum denique ex officio colligendae sunt.

\* AAS 81 (1989), 892-94.